



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima diuinam incompræhensibilitatem non intelligendo miretur: atq[ue] illam potius simpliciter credendo, quàm perscruta[n]do curiosè venerari oporteat. Cap. XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Pfal. 71.
Pfal. 67.

Licet enim virtutes Angelicæ in creaturis tuis miracula operentur, non tamen hæc virtute propria operantur, sed tua ð Domine, Domine virtutum, qui verè mirabilis es in sanctis tuis tam hominibus, quàm Angelis, per quorum tu ministeriū virtutes & miracula operaris. Quid enim sine te factore omnium facerent? Quid in creaturis tuis, non suis operari possent, nisi tu operareris in illis, qui etiam cum ipsis virtutibus tuo iussu miracula operantibus, per te metipsum mirabilia operaris? Qui autem quantumcunque perfectus agnoscat, quanta sit virtus tua in te metipso ð rex gloriæ, Domine virtutum, quàm cæteris omnibus ad mensuram dedisti.

Vti amans anima diuinam incomprehensibilitatem non intelligendo miretur: vtq̄ illam potius simpliciter credendo, quàm perscrutando curiosè venerari oporteat.

CAPVT XX.

Pfal. 102.
Eccli. 15.

Incomprehensibilis est virtus tua Domine Deus meus, vita mea, virtus mea, quia virtus tua non est aliud, quàm tu. O si aliquando illumines oculos cordis mei in illa terra viventium illustrato lumine vultus tui, vt facie reuelata videam in te ipso virtutem tuam, id est, te. O si videam te in multitudine virtutis tuę operantem in electis & dilectis tuis mirabilia illa supercoelestia, tam mirabiliter operantem cum illis in gloria immutabili, facientem cum illis gratiam pro gratia, coronando illos in misericordia & miserationibus, replendo in bonis desiderium eorum, thesaurizando super capita eorū lætitiā sempiternā, vbi videatur virtus tua & gloria tua, quarum media pars, imò nec millesima alicui vnquam, quantumcunque sancto, in hac vita mortali fuit nunciata. Quis enim illam tuę maiestatis agnoscat virtutem, præter te? Cuius facundia illam annunciet, cuius lingua totam loquatur, nisi tua? Virtutem enim tuam totam, id est, te metipsum tu solus agnoscis, tu solus tibi annuncias: nullius enim intellectus, nullius auditus capit te totum, sed capiunt te creaturę tuę rationales, & intellectuales, id est, homines & Angeli, vnusquisque secundum mensuram donationis tuę.

Vnde licet etiam Angelus, imò & Archangelus de cælo tuam euangelizet virtutem, nequaquam tamen illius facundia illam explicabit: quia tibi vni conseruatum est à te, plenè intelligere te, plenè loqui de te. Nam quamuis facundi valde sint Archangeli principes Angelorum, sicut decet nuncios tanti regis, incomparabiliter tamen dulcius & facundius resonant tua verba, quæ tu tibi eructus, nō intelligibilia cordibus humanis, nec auditui cuiusquā conuenientia. Quis ad illorū verborum incomprehensibilem dulcedinem pertingat, quæ sancte Pater & sancte Fili, & sancte Spiritus vobis eructuatis, nisi tu sola Trinitas & indiuisa vnitas. Incomprehensibilia super omnem incomprehensibilitatem, ineffabilia super omnem ineffabilitatē, dulcissima super omnē dulcissimam dulcedinē sunt hæc verba.

Ereu 2.

Inscrutabilia hæc perscrutanda non sunt, sed credenda, ne incantus perscrutator maiestatis opprimatur à gloria, ne nimium in solem intendens per nimiam claritatem cæcitatē tenebris oriatur.

Vti amans anima simpliciter ea credere profiteaturq̄, per Christi sanctorum vitam & doctrinam in sacris literis commendata sunt.

CAPVT